

**Trenodia exeqviis
excellentissimi oratoris
et præclarissimi domini,
mag. Dan...**

Flachsenius, Olaus Johannis

1 Ic 1692 Achrelius, Daniel



National Library
of Sweden



TRENODIA
EXEQUIIS
EXCELLENTISSIMI ORATORIS

Et
PRÆCLARISSIMI DOMINI,

Mag. DANIELIS
ACHRELII.

In Regia hac Academia Aboensi, Eloquentiæ
PROFESSORIS disertissimi, qui post multos magnosque
exantlatos in re literaria labores, animam suam pretiosam con-
credidit Salvatori suo die 13. April Anni Millesimi Sexcentesimi
Nonagesimi Secundi, Corporis vero exuviæ absconditæ
intemplo cathedrali Aboensi die 22. Maii ejus
dem anni quiescunt.

Doloris contestandi gratia,

effusa,

Ab

OLAO FLACHSENIO.



1692



lebilis Auricas gelidas miramur ad undas,
Cur veniat passis musa recincta comis,
Nec pracincta gerat viridanti tempora lauro
Vestis inaequales sed tegat atra pedes.
Scilicet hic lacrymis color est & luctibus aptus,
Hic habitus maesti pectoris esse solet.
Sic mihi tristitiam video luctumque minari
Cum domini referant ultima fata mei.
Tristibus hoc tempus Lachesis nos dura fatigat,
Casibus, & letos non sinit ire dies,
Utque alios taceam, quos functos munere vita
Abstulit immiti parca proterva manu.
ACHRELIUS noster musarum cura, Professor
Occidit, heu fallax, & breve vita fuit!
Hac igitur meta est nostrorum summa laborum!
Hac miseri cuncti conditione sumus.
Hic velut occultas volvens sub pectore curas
Imposuit tristi languida membra toro
Parva mora est pectus quatit arida tussis anhelum
Assuetam medica respuit artis opem
Mox rapidis imos torreri febribus artus
Sensit, & angustas gutturis esse vias.
Cur superis animam concredidit, ossa sepulcro
Mortua composuit contumulanda suo.
Heu mihi, nil artes sacra juvare medentum,
Artificum docta nil potuere manus
Ergo jaces, patria decus, o clarissima nostra
Et latiae svada gloria summa prius.
O quis te melius Phœbeas calluit artes
Aut citius docta leniit arte malum
Inclita te suavis celebrat facundia linguae
Et pulsare novo pectine verba dedit,

Sic Philomela tacet sic foada gratia lingue
Sic jacet exanimis Plinius ille potens,
Sic cecidit Pallas doctor celebrisque patronus,
Sic cecidit terra finnoniaque decus.
Sic quoties tumulo via proxima ducet euntes
Incola seu faciat sive viator iter
Nullus erit qui non repetet suspiria, dicet:
ACHRELII cineri pax requiesque fiet.
Heu spes fallaces, & mens improvida doctum
Qui stabilem vita creditis esse moram,
Quid prodest totas hiberno fidere noctes
Quid studiis longos continuasse dies,
Cum tamen in tenebris opera interrupta jacebunt
Musaque cum Domino pene sepulta suo est?
Felix, ante obitus cui saltem fata dederunt
Aspectuque tuo, colloquioque frui.
Scilicet hac secum dura solatia mortis
Attulit ad manes Elÿsiumque nemus,
Nec decet aut fas est, nos illum flere sepultum
Amplius, aut lacrymis ponere nolle modum.
Ille quidem dulces auras & amata reliquit
Lumina, sub gelida contumulatus humo
Fama tamen superest, & totum nota per orbem
Gloria, Castalia quam peperere Dea.
Nec tua longa Dies delebit scripta Professor
Juris in ingenium mors habet atra nihil.
Addo, quod ereptum terris pietasque fidesque
Ante Deum calo sideribusque locant.
Non levis ambitio non impius ardor habendi
Nullus in elato pectore fastus erat.
Provida sed virtus & flore nitentior omni
Candor & innocua cum pietate fides.

Hic ubi sensisset labi per viscera mortem
 Hac fudit moriens verba suprema simul,
 Fata vocant moriorque libens valeatis amici,
 Regia siderei me vocat alta poli,
 At tu Christe, nova que nobis gaudia vite
 Reddis & in supera das regione locum,
 Huic abeunti anima placidam largire quietem
 Ne mihi sit pretium mortis inane tua;
 Me cruor ille tuo stillans è vulnere sancto
 Abluat hos aestus, me juvet atque reum.
 Dixit & in tenues migravit spiritus auras,
 Et placidus clausit lumina victa sopor.
 Invida non omnes capiunt oblivia manes
 Umbra soporiferas non bibit omnis aquas,
 Nec generosa meo tua corde recedet imago
 Donec letheus subriget ora liquor.
 Acceptum quodcunque potest gratumque sepultis
 Accedere exequiis, contiget omne tuis,
 Omnia persolvat pietas & candor apertus
 Marmor & incisis indicat ossa notis.
 Ipse etiam quem tu semper complexus amabas
 Ultima qua potui munera ferre velim,
 Plura dolor prohibet, salve cultissime Doctor
 Atque nove in calis incola pace, vale.

